



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

1. Ad Romanum &c. Declarat Julium Medicæum, (qui postea fuit Clemens VII.) fuisse legitimo thoro natum, aliorumque calumnias redarguit, qui eum ex illegitimo complexu prognatum asserebant: anno 1513.
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

fumpferit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo duodecimo, Sexto Decimo Calend. Januarii, Pontificatus Nostri, anno decimo.

D. de Comitibus.

LEO DECIMUS.  
PONTIFEX CCXXI.  
ANNO DOMINI MDXIII.

**L**EO ex Illustri Medicæa Familia annorum triginta Pontifex eligitur, anno scilicet 1513. Sub hoc Lutherus contra Indulgentias insurgit, cujus Libros Pontifex comburi iussit. Mox Lutherus Jus Pontificium cremari fecit. Hinc Schismata ultrò citroque in Ecclesia oborta. Quadragenarius ferè Pontifex moritur Pontificatus sui anno nono. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis, Luxemb. 1727. fol. 525.*)

I.  
Ex Cartar.  
Syllabus  
Advocat.  
Consistor.  
pag. 31.

Declarat Julium Medicæum, (qui postea fuit Clemens VII.) fuisse legitimo thoro natum, aliorumque calumnias redarguit, qui eum ex illegitimo complexu prognatum asserbant: anno 1513.

LEO EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.*

**A**D Romanum Pontificem in primis pertinet, non solum Salvatoris Domini nostri JESU Christi singulas actiones, quæ ad nostram sunt instructionem, verum etiam ejus verba, quæ non absque profundo sensus mysterio protulit, quique dixit: Ego sum Lux Mundi, quæ pulsis ignorantie tenebris, veritate prævia per rectam Justitiæ semitam cuncta ducit, imitari. Quocirca nos ejusdem Salvatoris nostri, licet immeriti vices gerentes in Terris, ac in Sede Justitiæ Divina dispositione locati, ex debito Pastoralis Officii, ut quorumcunque Personarum status, & conditio, prout decet, æquo libramine pensitentur, & unicuique suum tribuatur jus, curare tenemur, & comperta veritate, declarationis oracula clara, & plana facere, ut exinde erronea opinione, & contraria fama sublatis, omnis dubitationis fomes removeatur. Cum nuper fide dignorum relatione perceperimus, quod dilectus Filius Julius electus Florentinus, de quondam Juliano de Medicis, Cive Florentino, secundum carnem Patruo nostro, ac Floreta Antonii Muliere Florentina, tunc in humanis agentibus, genitus, quem hæcenus defectum Natalium pati reputatum, secumque tanquam defectum hujusmodi patiente, in provisionibus beneficiorum sibi factis, per Prædecessores nostros, & per nos, cum nuper de Persona sua Ecclesiæ Florentinæ, tunc certo modo vacanti providissemus, ipsumque illi præfecissemus in Archiepiscopum, & Pastorem, ut illi præesse posset, dispensatum fuit, quod in veritate ex legitimo matrimonio, inter eosdem Julianum, & Floretam, per verba legitime de præfenti contracto, & carnali copula consummato, procreatus erat, ac quod

aliqui ex testibus, qui tunc, quando Matrimonium hujusmodi inter eos contractum fuit, præfentes fuerant, adhuc vivebant. Nos ne erronea hujusmodi, & vaga fama veritati noceat, in Consistorio nostro secreto Francisco Sancti Joannis, & Pauli, & Leonardo S. Sufannæ tit. Presbyteris Cardinalibus, dilectis Filiis nostris, ut super causa, & negotio legitimitatis, vel illegitimitatis, ac Natalium Julii electi hujusmodi, etiam eo, vel alio pro eo non instante, vocatis sua in præmissis interesse putantibus, ex officio inquirerent, & cognoscerent veritatem, ipsis invicem, unum ex eis, aut alium, vel alios, prout eis videbitur, subdelegandi ad procedendum in præmissis, etiam Ferris de Mense Septembris, per nos indictis non obstantibus, facultatem tribuendo, ac postmodum quicquid super hujusmodi legitimitate, vel illegitimitate inveniretur, in eodem Consistorio referendi, vivæ vocis oraculo, ut in similibus fieri consuevit, commisimus, ac etiam super hoc commissionem manu nostra signatam, per duos ex nostris cursoribus præsentari mandavimus, ac fecimus, ipsique Cardinales Commissionis hujusmodi vigore, se ipsos ad invicem, & dilectos Filios Joannem Paschalis, & Gentilem de Carlenis, Clericos eorum Auditores, ad in hujusmodi inquisitionis causa procedendum, & quicquid per eos in eadem inventum foret, eis referendum, subdelegarunt, ac dilectum Filium Magister Angelus de Cæsis, Aulæ nostræ Consistorialis Advocatus, asserens se ejusdem Julii electi intimum, ac præcipuum amicum, ac sua interesse, ne quis indebitè vel injustè diffamaretur, tanquam talis, ac alias, ut unus de Populo coram præfatis Cardinalibus comparens, processum in hujusmodi causa per editum publicum in alma Urbe nostrâ, & Valvis Cancellariæ Apostolicæ, ac acie Campi Floræ affigendum contra omnes, & singulos sua in præmissis communiter, vel divisim interesse putantes, si qui forent, instituendum, & continuandum, ac citationem per editum, contra ipsos sua interesse putantes, ad dicendum, & excipiendum quicquid verbo, vel in scriptis, contra ipsam præfatis Cardinalibus, ut præfertur, factam, & præsentatam Commissionem dicere, sive excipere vellent, ad certum peremptorium tunc expressum competentem terminum, decerni obtinuit. Ac postmodum in eodem termino coram præfatis Francisco Cardinali Commissario, ac Joanne, & Gentile Auditoribus, ut præfertur, Subdelegatis comparens, editum citationis hujusmodi in Valvis, & acie prædictis per unum ex dictis Cursoribus, debite affixum, & legitime executioni publicæ demandatum, judicialiter reproductum, ac citatorum inibi contentorum non comparentium, nec aliquid contra ipsam Commissionem dicere, sive excipere curantium contumaciam accusavit, ipsosque contumaces per ipsos Franciscum Cardinalem, ac Joannem, & Gentilem Auditores reputari fecit, ac etiam obtinuit, nec non postmodum coram ipsis nonnullis articulis super Natalibus, & legitimitate prædictis obtulit, & aliud citationis editum, contra ipsos interesse putantes similiter affigendum, & exequendum ab eisdem Cardinalibus ad dicendum, & excipiendum, quicquid similiter contra ipsos articulos dicere, sive excipere vellent, ac ad videndum, & audiendum ipsos articulos, ad probandum admitti, & testes super illis, ac tota causa hujusmodi jurare, & ad jurandum admitti ad certam diem juridicam tunc expressam, terminum quidem etiam peremptorium competentem, ac ad dandum interrogatoria, si qua dicti citati pro ipsis testibus interrogandis dare vellent, per totam illam, & sequentem dies, more solito decerni fecit, ac eadem die adveniente, editum posterioris citationis hujusmodi in valvis, & acie prædictis per unum ex dictis cursoribus similiter affixum, & executioni demandatum in illius termino prædicto, coram ipsis Francisco Card. ac Joanne, & Gentile Auditoribus etiam reproductum, & citato-

rum

rum prædictorum non contemptum, nec aliquid contra ipsos Cardinales dicere, vel excipere curantium, per ipsum Angelum contumaciâ accusatâ, ipsisque contumacibus reputatâ, per ipsam Franciscum Cardinalem, ac Joannem & Gentilem Auditores dictos Articulis ad probandum admitti petiit, & obtinuit, ac coram eis nonnullos Testes fide dignos super ipsis Articulis, & tota causâ inquisitionis hujusmodi induxit, & per Franciscum Cardinalem tam suo, quam Leonardi Cardinalis & Collegæ nominibus, ac Joannem & Gentilem Auditores præfatos etiam recipi, & admitti ad jurandum, prout jurarunt, tactis per eos, & eorum quemlibet ob hoc Scripturis Sacrosanctis ad Sancta Dei Evangelia, de dicendo puram, meram, & sinceram, quam super his scienter, veritatem, amore, favore, irâ, & invidiâ penitus postpositis. Et successivè, ne ab aliquibus tempore procedente, de fide, & legalitate dictorum testium aliquid possit hæsitari, præfatos Angelus certos alios articulos legalitatis ipsorum testium comprobatorios, coram præfatis Francisco Cardinali, ac Joanne, & Gentile Auditoribus, apud acta causæ inquisitionis hujusmodi exhibuit, & deinde alio simili citationis edicto similiter ad dicendum, & excipiendum contra illos, & videndum eos admitti, ac jurare testes, tam super illis, quam tota causâ hujusmodi ab ipsis Cardinalibus decreto, & emanato, ac pari modo publicè affixo, & debita executioni demandato; ac ipsis Testibus, sic ut præfertur, jam inductis, & juratis, & consecutis eorundem Francisci, & Leonardi Cardinalium præsentatis, & per eos super dictis articulis, & contentis in eis prius, ac deinde per ipsos Joannem, & Gentilem Auditores, etiam secreto, & sigillatim examinatis, eorumque dictis, & depositionibus in scriptis fideliter redactis, ipsosque posterioris citationis edicto, coram ipsis Francisco Cardinali, ac Joanne, & Gentile Auditoribus in illius termino reproducto, & citatis in eo contentis, per ipsos Franciscum Cardinalem, ac Joannem, & Gentilem Auditores contumacibus reputatis, dictos posteriores articulos, similiter ad probandum admitti, & nonnullos alios Testes super ipsis posterioribus articulis, & tota causâ hujusmodi similiter induxit, & ad jurandum recipi obtinuit, prout similiter jurarunt, & termino ad dandum interrogatoria pro illorum examine competenti prius lapsa, examinati fuerunt, dictis, & depositionibus eorum in scriptis pariter redactis. Et tandem ipsi Franciscus, & Leonardus Cardinales, actis super præmissis factis, & in eis contentis per eos visis, ac diligenter inspectis, ac omnibus, & singulis, quæ in causâ ipsa acta, & actitata fuerunt, diligenter, & accuratè per eos etiam examinatis, in Consistorio præfato præmissa omnia, & singula, etiam Testium depositiones coram nobis, & aliis Venerabilibus Fratribus nostris S. Rom. Eccl. Card. nobiscum inibi consistorialiter sedentibus, magna cum maturitate retulerunt, exposuerunt, & narrarunt. Nos visa citatione ad audiendum sententiam nostram, ad hanc diem factâ, ac relatione hujusmodi audita, & intellecta, ac illis, & aliis, quæ ex processu, & depositionibus testium hujusmodi resultabant, simili maturitate pensatis, & libratis, ac ex illis clarè comperto, quod Julianus, & Floreta Parentes dicti Julii electi fuerunt, dum viverent, legitimi Conjuges, & matrimonium inter se per verba legitime de præfenti contraxerant, quodque dictus Julius electus, jure dictante, eorum Filius naturalis, & legitimus existit, quodque propterea nullum Natalium defectum passus fuit, nec patitur, de dictorum Cardinalium Consilio, & unanimi consensu, illorum nemine discrepante, processum in præmissis habitum primitus, & ante omnia approbantes, & confirmantes, ac omnes & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in præmissis, dictique Processus fo-

lemnitates, forsitan minus rectè servatas, aut etiam in totum omittas, Apostolica auctoritate, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine suppletentes, in dicto Consistorio pro Tribunali sedentes, talem in negotio, & causâ hujusmodi sententiam damus in his scriptis, & proferimus in hunc, qui sequitur, modum:

Supremi æternique Tribunalis Judex, cujus Divinâ disponente Clementiâ, vices in terris gerimus, Nos verbo & exemplo docuit, in rebus omnibus, præsertim gravibus, neque famâ decipi, neque alias gestorum nostrorum defensionî nimium inniti, dicente Domino, Descendam & videbo, utrum clamor, qui ad me pervenit, opere compleverint: & eodem jubente, servum coram se rationem reddere villicationis. Nos igitur gesta nostra corrigere, & ad veritatis semitam reducere, juxta Apostoli, Nicolaique Prædecessoris Nostri Sententiam, ut par est, volentes, quamquam usque in hæc tempora, famâ suadente, pro comperto haberemus, Dilectum Filium Julium, electum Florentinum Natalium pati defectum, ideoque cum eo in promotione ad Ecclesiam Florentinam prædictam, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. Ecclesiæ Card. Consilio dispensaverimus, prout aliis super eodem defectu à pluribus Prædecessoribus Nostri dispensatum fuisse comperimus. Quoniam tamen nonnulli antiquiores, etiam sanguine conjuncti, ut in rebus gravibus fieri solet, rem aliter se habere arbitrabantur, & Nobis retulerunt, nos de præmissis certam notitiam non habentes, stimulis conscientiæ agitati, veritatem rei seriose inquiri cupientes, ne illegitimum pro legitimo, & legitimum pro illegitimo haberemus, Dilecto Filio Francisco SS. Johannis & Pauli, & Leonardo S. S. S. S. Presbyteris Cardinalibus dedimus in Mandatis, ut super præmissis se diligentius informarent, etiam quorum interest, citatis, ex quorum, post plurium testium examen per eos diligenter factum, in Consistorio Nostro Secreto, relationibus dilectum Filium Julium electum præfatum, legitimum esse, atque ex legitimo matrimonio natum fuisse, reperimus. Veritate itaque manifestata, cum juxta Canonicas Sanctiones cedat opinio veritati, Omnipotentis Dei, ejusque Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti nomine invocato, per hanc Nostram definitivam Sententiam, quam ex Nostro Officio ad nullius partis instantiam, & de plenitudine potestatis, quoad validitatem processus, & sententiæ hujusmodi procedentes, de eorundem Fratrum Nostrorum Consilio, & assensu in his scriptis fecimus, pronuntiamus, decernimus, & declaramus in causâ & de super natalibus Dilecti Filii Julii electi præfati, rebusque aliis in actis causæ hujusmodi latius deductis, præfatum Julium electum legitimum, & ex legitimo matrimonio natum fuisse & esse, eumque pro legitimo, & ex legitimo matrimonio procreatum, in omnibus, & per omnia pleno jure, verè & non fictè, prout in litteris super hujusmodi Nostra Sententia conficiendis plenius exprimeretur, haberi & reputari, teneri & tractari debuisse & debere, ac de cætero perpetuis futuris temporibus habendum, reputandum, tenendum & tractandum fore, famâ, dispensationibusque prædictis, cæterisque in contrarium facientibus, prout revera non obstant, non obstantibus quibuscunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Nostræ Approbationis, Confirmationis, Suppletionis, Pronunciationis, Prolationis, Declarationis & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1513. duodecimo Kal Oâobris, Pontificatus Nostri anno primo.

Ego

Ego LEO Decimus Ecclesie Catholice Episcopus subscripsi.



Ego R. Ep. Ostien. Card. S. Georgii Camerarius.  
Ego B. Ep. Sabin. Card. S. †.

Ego Ja. Episc. Alban. Card. Arboren.  
Ego F. Episc. Tiburtin. Card. Vult.  
Ego M. Episc. Prænestinus Card. Senogall.  
Ego T. Presbyter Card. Strigoniensis, tit. S. Martini in Montibus, manu propria subscripsi.  
Ego F. tit. SS. Joannis & Pauli Presb. Card. Surrentin. manu propria.  
Ego N. tit. S. Priscæ Presb. Card. de Flisco, manu propria.  
Ego Hadrianus tit. S. Chryzogoni Presb. Card. Bathoniensis, manu propria.  
Ego R. Presb. Card. tit. S. Anastasie Nannetensis subscripsi manu propria.  
Ego L. Presb. Card. tit. S. Sufannæ.

Ego C. Presb. Card. tit. S. Ceciliæ de Finario subscripsi.

Ego Chri. Eboracen. tit. S. Prax. Presb. Card. subscripsi.

Ego A. tit. S. Vitalis Presb. Card.

Ego P. tit. S. Eusebii Presb. Card.

Ego B. tit. S. Sabinæ Presb. Card. de Saulis.

Ego F. Diaconus Card. S. Angeli de Sancto Severino.

Ego Hip. Diac. Card. Estensis.

Ego A. S. Eustachii Diac. Card. de Farnesio.

Ego L. S. Mariæ in Cosmedin. Diac. de Aragonia.

Ego M. S. Mariæ in Via Cata Diac. Card. Cornelius.

Ego Al. S. Theodori Diac. Card. Petruccius,  
P. Bembus.

D. de Comitibus.

Locus † Plumbi.

II.  
Ex Arch.  
Reipubl.  
Genev.

Bulla quæ Ecclesie Parrochialis Thorensis Unionem ac Incorporationem Mensæ Cathedralis Gebennensis Ecclesie concedit: anno 1514.

### LEO EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

**E**X inuncto Nobis desuper, imparibus licet meritis, Apostolicæ Servitutis Officio, ad ea libenter intendimus, per quæ singularum, præsertim Cathedralium Ecclesiarum & personarum in eis Divinis laudibus insistentium, commoditatibus valeat salubriter provideri. Cum itaque Parrochialis Ecclesia Thorenci, Gebennensis Diocesis, quam Venerabilis Frater Noster Ludovicus Episcopus Maurinensis, nuper in Commendam ex Concessione & Dispensatione Apostolica obtinebat, Commenda hujusmodi ex eo, quod illi hodie idem Ludovicus Episcopus, per dilectum Filium Magistrum Ricardum de Milanensibus, Scriptorem & Familiarem Nostrum, Procuratorem suum ad hoc ab eo

specialiter constitutum, in Manibus Nostris sponte & libere cessit, Nosque cessionem hujusmodi duximus admittendam, cessante adhuc eo, quo ante Commendam eandem vacabat modo, vacare noscatur ad præsens. Et sicut exhibita Nobis nuper pro parte Dilectorum Filiorum Capituli Ecclesie Gebennensis petitio continebat, ipsi longo jam ex fluxu temporis intervallo, pro Divini Cultus augmento & Veneratione dictæ Ecclesie Gebennensis, quæ plurimum insignis existit, unum Magistrum cantus & sex pueros Chori in Musica arte peritos, sub tenui & exili fundatione, & pro majori parte impensa Mensæ Capitularis ipsius Ecclesie Gebennensis tenuerunt, & pro Divino Officio decentius celebrando, duodecim Capellanos Presbyteros, qui cum Magistro & pueris præfatis in dicta Ecclesia Gebennensi singulas horas Canonicas, & alia Divina Officia decantare & celebrare, & in eisdem deservire & assistere tenentur, sub certis exiguis stipendiis, ad quindecim Ducatos auri de Camera annuatim non ascendentes, eligere & deputare consueverunt, ipsique in fabrica & ornamentis dictæ Ecclesie Gebennensis manutenendis & conservandis, aliisque dietim eis occurrentibus oneribus adeo gravati existunt, quod nisi eis de alicujus subventionis auxilio provideatur, laudabilem consuetudinem hujusmodi, cum detrimento Divini Cultus aboleri, tempore procedente, posse suspicantur. Verum si dicta Parrochialis Ecclesia Mensæ prædictæ perpetuo uniretur, annecteretur & incorporaretur, hoc profecto Divino Cultui, & dictæ Ecclesie Gebennensis decori non parum confuleretur. Quare pro parte Capituli prædictorum asserentium, dictæ Parrochialis Ecclesie fructus, redditus & proventus centum octuaginta Ducatorum auri similium, secundum communem æstimationem, valorem annum non excedere, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut Parrochiam Ecclesiam prædictam eidem Mensæ perpetuo unire, annectere & incorporare, aliasque in præmissis opportunè providere, de Benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur quascunque Gratias, Expectativas, speciales vel generales, Reservationes, Uniones, Annexiones & Incorporationes, Suppressiones, Extinctiones, perpetuas & temporales Nominationes, ac reservandi, uniendi, annectendi & incorporandi, nominandi & nominatis vel aliis conferendi, supprimendi, extinguendi, aliasque citra tamen accessus & regressus, Facultates, Litteras, Mandata & Indulta quæcunque, necnon absque dicti Ludovici Episcopi Consensu, Coadjutorum Deputationes, etiam cum Provisionibus, Commendis & aliis dispositionibus, ex tunc quibusvis personis, cujuscunque Dignitatis, Status, Gradus vel Conditionis existentibus, & quæcunque etiam Imperiali, Regali, Reginali, Ducali seu Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, vel majori Dignitate, Auctoritate, Præminencia, Nobilitate & Excellentia, aut etiam Cardinalatus honore fulgentibus, ac familiaribus continuis Commensalibus Nostris, etiam descriptis, seu in eorum aut Ecclesiarum, etiam aliarum Cathedralium & Metropolitanarum, Monasteriorum, Mensarum, Capitulorum, aliarum Dignitatum, & quorumcunque aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, cum Cura & sine Cura, Sæcularium & quorumvis Ordinum Regularium, Locorum Piorum, Universitarum, Studiorum & aliorum quorumcunque, aut nullius favore, ac eorum necnon jurium cessorum vel ablatorum, aut spoliis, damnarum & obsequiorum, etiam Nobis & Romane Ecclesie, vel dictæ Sedi aut pro Fide Catholica impensorum, seu quavis alia grandi & excogitabili causa, consideratione, contemplatione, instantia, intuitu vel respectu, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ Potestatis Plenitudine, & cum quibusvis antelationum, Præ-

rogati-